

**Programma Quo Universitatis Rostochiensis, P.T. Rector Caspar March/ D. Med. & Math. Prof. P. Ad Exequias Viro-Iuveni ... Dn. Jacobo Beselin/ Die 30. Aprilis, hora media prima in Templo Nicolaitano Moestissima Mater parat Omnes omnium ordinum Cives Academicos serio ac peramanter invitat. Conventus fiet in dicta Aede Nicolaitana**

Rostochii: Kilius, 1658


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74685868X>


Druck Freier  Zugang




March, C.,  
in J. Beselin.

R. 1658.







108  
PROGRAMMA

Quo  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS, P.T.

RECTOR

CASPAR WARE/

D. Med. & Math. Prof. P.



Ad

Exequias

VIRO-JUVENI

*Præstantissimo & Politissimo*

DN. JACOBO Beselin/

Die 30. Aprilis, horâ mediâ prima  
in Templo Nicolaitano

Moestissima Mater parat

Omnes omnium ordinum Ci-  
ves Academicos seriò ac pera-  
manter invitat.

Conventus fiet in dicta Æde  
NICOLAITANA.

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,  
Acad. Typ. ANNO M. DC. LVIII.



**H**æc res tulit, lector benevole & inexpectata occasio, ut Magistratui Academico jamjam juxta voluntatem eorum, quibus refragari non est integrum, suscipiendo, dicendis mortui laudibus præludendum habeam. Sane si ad vulgæ arbitrium & censuram casus hic exigetur, nihil aut parum felicitatis pro mercede aut levamento futurarum curarum & imminenti sollicitudinum; contra adversa multa & tristia expectanda videbuntur. Veluti enim exprimam auroræ exortæ recens diei tempestatem, vel serenam vel turbidam conjectamus, ita primus obviæ functionis actus, quales futuri sint proximi, judicare videtur & quasi portendere. At triste, inquit, & quo nullum sinisterius alterum judicari omen potest, quod ab expendente scelerorum capessendorum gravitatem atque molestias feralis scriptio exigatur, cogitationesque ab isto Inaugurali, cui intentæ, in lugubre argumentum omnino sint mittendæ. Verum enim vero, sicuti profano homini nihil formidabilius, & caduca miranti æstimantiq; morte nihil metuendum magis videtur, ita pro malo omni-

statis

ne is habere potest omnes, quæ ejus gratia susci-  
piuntur atq; nos exercent occupationes. Sed  
longe aliter sentiunt & philosophantur, quorū  
pectora sapientiæ succus imbuit. Hi namq; no-  
runt seriem invictam & nullā mutabilem ope  
illigare ac trahere cuncta, indeq; non horrent  
mortem aut formidant, sed ejus necessitatem,  
animo suo identidem vel his vel aliis repræsen-  
tant: Eo aliquando ibis, quo omnia eunt. Ad  
hanc legem natus es, ut vita emigres; nihil experi-  
eris novi, accidit hoc Patri tuo, hoc Matri, idem  
hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te; Im-  
primis vero Christiani, quorum mentes spiritus  
Sãcti sub gratiosũ irradiavit, cũ docti sint, emis-  
sis meliora restare, detracto onere, & non nisi per  
mortem perveniri posse ad illa cœlestia gaudia,  
quorum Magnitudinem nescit capere alligata  
corpori mens aut completi, nihil lubentius me-  
ditantur, quam illam, nihil intentius & cum ma-  
jori svavitates; indeq; occasiones recogitandi exi-  
tum ex hoc teatro mundi obtrudi sibi non tam  
dolent aut ringuntur, quam totis præcordiis læ-  
tantur. Novit siquidem mens pia potentius nul-  
lum adversus peccata pharmacũ esse seriã & fre-  
quenti mortis meditatione. Multiplicat peccata  
securitas, & longius ab futuræ mortis persuasio.  
In peccatis subito corripit, exitiosum novit qua-  
liscunq;



lis unq; fidei Christianus. Subtimidè ergo peccat, etiamsi delinquendi occasionem vel amor ipse vel charitas, ut videtur, Christiana sæpe suggerat, quisquis incertæ mortis meditatione afficitur. Abstinebit à scelere profusus, qui omnè horam decretoriam putat, & quodvis momentum ultimum. Excusit præterea omnem voluptatis, mundanæ sensum animò concepta minantis excidium mortis imago, aut ad futura actutū timor. Nemo enim prudens inter æstuantis oceani fluctus in tabula ludit, aut inter medios hostes inermis hilarescit. Tantum abest, ut omni hora dubius, omni momento incertus, sub perpetuò mortis metu ea quisquam audeat, quæ æternum reddere possunt infelicem. Nullatenus ergo infelix egomet mihi videbor, quod inter occupationes officii primas, Lugubre quid oblatū fuerit, quin tanto magis volupe erit, illius, cujus morte, mortem ex abrupto quasi, piè tamen, & attentius meditari contigit, vitam moresq; quousq; edoctus sum scriptione exprimere. Natus est Juvenis Præstantissimus ac Politissimus, Dn. JACOBUS BESELIN, in hâc ipsâ, in quâ defecit Urbe, Annò millesimò sexcentésimò vigésimò octavò, IV. Octobris inter septimam & octavam verspertinam. Equidem non est nostræ spontis & optionis, ut legere possimus ad fastum parentes, agno.

agnoscendi sunt & æquò animò habendi, quos  
Dei benignitas nobis adsignavit, namq; à claris  
generari & nasci fortuitum est, at tamen certè in-  
nonnulla felicitatis parte ponendum, si quis ma-  
jores nactus fuerit non obscuros aut ignorabiles  
defuncto. Contigit ea beatitudo Juveni nostro,  
cujus majores eò quò accepimus ordine benè  
longò, locatos repræsentamus. *Pater* ejus fuit  
Vir doctus & integerrimus, DN. VALENTINUS BE-  
SELIN, Civis hujus urbis primarius, & in functio-  
ne sua mercatoriâ ac Cerevisiæ coquendæ indu-  
strius. *Mater* adhuc superstes, filiiq; obitum ap-  
prime lugens, Honestissima femina ELISABETHA  
SCHUTTEN. *Avus Paternus*, Vir Spectatissimus  
DN. JACOBUS BESELIN, Sedecim Vir & Ædis Ni-  
colaitanæ Præfectus laudatissimus. *Avia* MAR-  
GARETA HAVEMANS, ornata iis virtutibus, quibus  
deceat esse instructam boni commatis feminam.  
Nominam; præterea suò meritò defuncti nostri  
JACOBI *Proavum Paternum*, Virum Amplissimum,  
DN. JOHANNEM BESELIN, Senatorem hujus Reipu-  
blicæ prudentissimum, & *Proaviam* Matronam  
honestissimam MARGARETAM STEINS, & ipsam ex  
Parte Senatore JACOBO STEIN prognatam. Ad  
*maternam* familiam ubi transeundum nobis est,  
citamus ex eâ primo *Avum*, Virum Amplissimū  
& Prudentissimum, DN. JOACHIMUM SCHUTTEN,  
Consu-


Consulem quōdam hujus Reipublicæ circum-  
spectissimum, & officio suo egregiè fungentem.  
Uxoremq; hujus, nostri autem p̄defuncti *Avi-*  
*am Maternam*, fœminam honestissimam ELISA-  
BETAM GERDES; tum *Proavum*, DN. NICOLAUM  
SCHUTTEN, Senatorem Güstroviensem laudatis-  
simum *Proaviamq;* ANNAM STOESLOWEN, nataliū  
splendore insignem, ut pote ex est nobili Stoes-  
loviorum familia ortam. Claudat Catalogū *Aba-*  
*vy maternq;* JOACHIMUS GERDES, institutor apud nos  
quondā solers, & *Abarvia*, CATHARINA KRUGERS.  
His memoratis revertimur ad JACOBUM nostrum;  
Prodit ille vitales in luminis auras prædictis Pa-  
rentibus, neutiq; in immaculatus, sed pollutus  
& infectus peccatō originis, cujus tamen fœditas  
& spurcicies ex præscripto nobis à Clementissimo  
DEO & gratiosissime indulto remedio, accuran-  
tibus genitoribus, ut omninō fas erat atq; dece-  
bat, sacro nempe Baptismate, & sub ipsam statim  
Nativitatem deterfa; educatus dein porro omni  
curâ & industriâ ab utroq; initio Parente, post  
ubi Genitor impuberi filio & orbi ereptus, fa-  
toq; suo functus esset, devolutum id grande onus  
(quid enim arduum magis pluribusq; conjun-  
ctum sollicitudinibus, quam liberorū congrua  
& prudens Educatio) in Matrem solam, quæ-  
um literis bonis imbui, mores ad venustatem &  
Elegan-


Elegantiam componi formariq; partim per pu-  
blicos pueritiæ, partim per eos quos domi eâ gra-  
tiâ aluit Magistros & Præceptores privatos egre-  
giè, ut laudem ob id mereatur, curavit. Præbe-  
bat certe de se spem bonam JACOBUS, neq; plum-  
bei obtusiq; ingenii, neq; tardæ memoriæ, adeo  
ut pertexere studia cœpta cum magno fructu po-  
tuisset nisi destinationes & impedimeta ex trans-  
verso incurrentia obsticissent, quæ inter nun-  
quam tamen desinit amare literas & pro virili iis  
operari, imprimis legum Scientiæ. Cæterum,  
ne domi aratem haberet, quod & turpe à pluri-  
mis habetur, & certè re ipsa parum est glorio-  
sum, ablegavit eum Mater Anno 1655. in Germa-  
niam superiorem cujus aliquot Academiis, im-  
primis Lipsiâ, Wittebergâ, Jenâ perlustratis,  
penetravisset ulterius, nisi pietas eum, & prom-  
ptitudo obsequendi Matri morbo correptæ, vo-  
lentiq; & jubenti redire Juvenem, revocasset  
aut retraxisset potius ad solum natale. Ex pere-  
grinatione reversus, eundem, quo discesserat,  
reporravic animum, eandemq; vitæ rationem &  
tenorem constantissimè servavit. Scilicet ne-  
mini molestus fuit unquam aut gravis. Pietati  
Virtutum omnium Principi, & proximi pro vi-  
rili deservire commodis eniximè studuit, donec  
eis Bacchanalia, malè habere inciperet, & im-  
primis

primis Scorbuto divexari, cui pellendo advocatus Vir Excellentissimus DN. JOHANNES BACKMEISTERUS, Med. Doctor & Professor Celeberrimus, Collega noster honoratissimus, nulli quidem pepercit operæ, nullis saluberrimis Pharmacis; sed omni tandem arte potentior morbi vis Juvenem 23. Aprilis circa tertiam à meridie horam extinxit, postquam preciosissimo Jelu nostri mellitissimi corpore & sanguine, ministrante Reverendo & Clarissimo Viro DN. M. JOHANNES STEINIO, Templi Nicolaitani Pastore vigilantissimo, passus, ad emigrandū ex hac valle Miseriorum precibus ardentibus sese egregiè præparavisset. Mandabitur hodiè ex angue ejus & mortuum corpus communi matri nostræ telluri. Vos Cives Academici eohonestate honorificâ præsentia vestrà juvenis hujus exequias, & idem officium vobis olim exhibendum fore, perpendite.


P.P. inter occupationes d. 30. April.  
Sub. Sigillo Academico.











Elegantiam componi formariq; par-  
blicos pueritiæ, partim per eos quos d-  
viã aluit Magistros & Præceptores pri-  
giè, ut laudem ob id mereatur, cura-  
bat certe de se spem bonam JACOBUS,  
bei obtusiq; ingenii, neq; tardæ mem-  
ut pertexere studia coepit cum magn-  
tuisset nisi destinationes & impedimē-  
verso incurrentia obsticissent, quæ  
quam tamen desistit amare literas &  
operari, imprimis legum Scientiæ,  
ne domi aratem hæreret, quod & tu-  
mis habetur, & certè re ipsa parum  
sum, ablegavit eum Mater Anno 1659  
niam superiorem cujus aliquot Acad-  
prius Lipsiã, Wittebergã, Jenã  
penetravisset ulterius, nisi pietas cu-  
ptitudo obsequendi Matri morbo c-  
lentiq; & jubenti redire Juvenem,  
aut retraxisset potius ad solum natal-  
grinatione reversus, eundem, quo  
reportavit animum, eandemq; vitæ  
tenorem constantissimè servavit,  
mini molestus fuit unquam aut grav-  
Virtutum omnium Principi, & pro-  
rili deservire commodis enixim stud-  
eis Bachanalia, malè habere incipi-

